

SCRIPTA

Numéro Scripta : 695

Auteur(s) : Henri, Le Tréport, Saint-Michel (abbé)

Bénéficiaire(s) : André, fils de Gautier de Mesnil-Sterlin [prévôt]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1226

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Concession à perpétuité faite par l'abbé Henri à André, prévôt de l'abbaye, et à ses héritiers, de la métairie du Mesnil-Sterlin (Vidimus de 1258)

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CXXXVIII, p. 156-157.

Texte établi d'après a

Ego Johannes, prepositus de Mesnillo Oistellant, notum facio omnibus presens scriptum inspecturis, quod ego habeo de dominis meis, abbate et conventu de Ulteriori Portu, quandam cartam sub hac forma :
Omnibus Christi fidelibus presentem cartam inspecturis H[enricus], Dei gratia abbas de Ulteriori Portu, et ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos, de communi assensu, concessimus, et presenti carta confirmavimus, Andree, preposito nostro, filio Walteri de Mesnillo Oistellant, quondam prepositi nostri, medietariam nostram de Mesnillo Oistellant, que spectat ad elemosinam domus nostre, tenendam de nobis sibi et heredibus suis in perpetuum, eo modo quod dictus A[ndreas] et heredes sui successive unus post alium, sine aliqua divisione et dote, dictam medietariam excolant, et de suo proprio semine seminabunt et salvocustodient usque ad messonem ; messores vero de consilio et provisione elemosinarii capientur, qui fidelitatem ei jurabunt de bladis bene et fideliter colligendis, et quod ad alios blados colligendos non ibunt, preter assensum suum vel custodis sui, quousque bladi de medietaria sint collecti, dum tamen maturi fuerint ad colligendum ; partem vero bladi elemosinarii ad granchiam ducet, antequam suam portionem de campo eiciat ; medietas etiam stipularum ad usum elemosinarii, si placet, remanebit ; fimum vero curie sue ad nullas alias terras ducet nisi ad medietariam, preterquam in ortum suum ; si vero medietaria mallanda fuerit, elemosinarius terciam partem totius custi apponet. Dictus vero A[ndreas] et heredes sui, singulis annis, in granchia elemosinarii unum sextarium bladi, et unum sextarium avene, et unam minam ordeï, et unam minam vechie in augmentum seminis percipient, et stramen de centum garbis. Concessimus etiam dicto A[ndree] et heredibus suis omnes libertates et consuetudines, quas pater ejus et antecessores sui habere consueverant. Et ut hoc firmum et stabile in perpetuum permaneat, presens scriptum sigillis nostris munitum dicto A[ndree] et heredibus suis dedimus in testimonium. Datum anno Domini M°. CC°. vicesimo sexto.

Ego vero predictus Johannes, prepositus de Mesnillo Oistellant, quondam filius et heres predicti Andree, presens scriptum sigillavi, anno Domini M°. CC°. L°. octavo, mense octobris, presentibus hiis : domino Symone, presbitero

de Flosques, Goscelino Triket, burgensi de Augo, Roberto de Fry, Willelmo de Ovilla, tunc serviente domini comitis Augi, Matheo Guesdon de Flosques et pluribus aliis.